

1269, maig, 19

*Testament d'Agnès de Foixà, viuda de Ramon de Gironella, fet abans de professar a Sant Daniel, on dota diverses fundacions amb delmes de Caldes i Franciac, a administració de la priora.*

ASD núm. 203, perg. orig., 630 x 410 mm.

In nomine Domini nostri Ihesu Christi et indiuidue Trinitatis, ego Agnes de Fuxano ante professionem faciendam et infra tempus probacionis existens in monasterio Sancti Danielis ordinis sancti Benedicti iuxta Gerundam, meum facio testamentum in quo facio meos manumissores uenerabilem patrem in Christo dominum episcopum Gerundensem, capellanum Sancti panielis qui pro tempore fuerit et Gaufridum de Crudiliis, rogans eos quod hanc meam uoluntatem compleant et compleri fadant prout in hoc meo testamento inuenient ordinatum, dans eis plenariam et liberam potestatem super omnibus et singulis faciendis que in hoc testamento scripta sunt et ordinata. In primis uolo et mando quod ante omnia soluantur mea debita et iniurie restituantur, si que poterint reperiri, sine omni diffugio et malo placito. Item <limite omnes fructus ej redditus et prouentus quos debedo accipere in parrochia de Quarciano per unum annum post mortem meam pro mille missis celebrandis pro anima mea et domine Cecilie condam sororis mee et Raimundi de Gerundella mariti mei et patris et matris mee, pro quibus missis dentur de dictis expletis .ce. solidi domui predicatorum Gerunde pro cantandis .cccc. missis, et fratribus minoribus eiusdem loci .CL. solidi pro .cec. missis et .CL. solidi, dentur pro .cec. missis celebrandis in monasterio predicto Sancti Danielis. Item dentur de dictis fructibus et expletis .xx. solidi pro pietancia conuentus Sancti Danielis in die qua ego migrauero ab hoc mundo; et si fructus illius anni plus dictis .oxx. solidis ualuerint, illud plus distribuatur per dictos meos manumissores inter fratres predicatores et minores et monasterium Sancti Danielis equaliter. Item <limite operi fratrum predicatorum Gerunde .cccc. solidos, et quod celebrent pro anima mea .occ. missas; operi fratrum minorum Gerunde .CL. solidos, et fratri Berengario de Crudiliis nepoti meo .c. solidos pro libris et fratri Gaufrido nepoti meo .c. solidos pro libris, et rogo omnes predictos fratres quod sint memores anime mee; Sancto Petro de GaUicantu .v. solidos, hospitali nouo .v. solidos, hospitali Sancti Petri .m. solidos, infirmis de Petreto .n. solidos, capellano Sancti Danielis duos aureos, ebdomedario .m. solidos et aliis clericis qui fuerint in monasterio binos solidos, domino episcopo Gerundensi .x. aureos et Gaufrido de Crudiliis decem aureos. Item <limite officio infirmarie Sancti Danielis .L. solidos et officio sacristie eiusdem loci alios .L. solidos. Item <limite mille solidos ad debita et iniurias Raimundi de Gerundella condam mariti mei soluendas. Item <limite conuentui predicti monasterii Sancti Danielis et duobus presbiteris eiusdem loci quod procurent per totum Aduentum de pulcro pane et de bono uino et de piscibus, prout in alia carta quam inde feci plenius continetur, et <limite eidem conuentui et presbiteris predictis per omnes dies ueneris de anno, excepta Quadragesima et Aduentu tria oua unicuique dominarum, tam paruarum quam magnarum et utriusque dictorum presbiterorum. Item uolo et ordino quod fiat anniuersarium meum et Raimundi de Gerundella condam mariti mei in monasterio predicto, ita uidelicet quod tam in die

obitus mei quam in die etiam obitus predicti Raimundí mariti mei conuocentur in utriusque obitu .Lxxx. presbiteri et

detur cuilibet presbitero oblatio .VI. denariorum, et si non possent comode presbiteri omnes simul una die conuocari, fiat eorum conuocatio infra .1111. uel .v. dies, ita uidelicet quod in aniuersario uniuscuiusque nostrum, uidelicet mei et dicti Raimundí de Gerundella expendantur .XL. solidi et nichilominus in utraque die ipsorum anniuersariorum dentur .x. solidi pro pietancia conuentui Sancti Danielis. Ad predicta uero stabilimenta facienda, uidelicet tam de dictis duobus anniuersariis faciendis et duabus pietanciis dicto conuentui dandis et de predictis ouis in diebus ueneris et de piscibus et pane et uino dandis per Aduentum dono illam quartam partem tocius decime de Calidis et de Franciacho quam dictus maritus meus mihi donauit, prout in instrumento iam per me facto me recolo mencionem fecisse atque assignacionern et totum meum honorem de Vilarnau parrochie de Calidis, et uolo atque mando quod ematur honor pro .Dcc. solidis et hidem honor qui emptus inde fuerit sit similiter assignatus et obligatus pro dictis stabilimentis. Et uolo, ordino atque mando quod tam illum honorem quod de nouo emetur et honorem predictum de Vilarnau quam decima de Calidis et de Franciacho teneat semper atque possideat sine omni questione priorissa predicti monasterii Sancti Danielis que pro tempore fuerit, de quibus redditibus faciat dicta seruicia per Aduentum et per dies ueneris sicut dictum est et anniuersaria et pietancias supradictas. Volo tamen quod Cecília filia mea que · nunc est priorissa dicti monasterii ha beat annuatim in tota uita sua .L. solidos de redditibus et prouentibus dictorum honorum quos ei <limito annuatim recipiendos dum uixerit pro uestibus et aliis suis necessitatibus, et deducat dum ipsa uixerit annuatim .xv. solidos, de quolibet anniuersario predictorum; post mortem uero · eiusdem Cecilie dicta anniuersaria fiant integre sine omni deduccione, et uolo quod dicta Cecília habeat dictos .L. solidos uno anno pro celebrandis missis pro anima sua post mortem suam. Item uolo et mando et plenariam potestatem dono predictis meis manumissoribus quod uendant totum meum honorem de Rupiano et quod soluant inde omnes meas lexias predictas seu legata, exceptis dictis stabilimentis que in dicto monasterio Sancti Danielis facio. Solutis uero predictis .lexiis seu legatis uidelicet tam dictis mille solidis quos <limito pro debitibus et iniuriis dicti Raimundi de Gerundella soluendis et restituendis quam omnibus aliis suprascriptis, quicquam residuum fuerit totum detur et expeIJ.datur per dictos manumissores de consilio prioris fratrum predicatorum Gerunde qui pro tempore fuerit, pro anima mea et dicti mariti mei et aliorum parentum meorum et omnium fidelium defunctorum pauperibus Ihesu Christi quos mihi heredes in presenti testamento facio. Item uolo quod fiat de toto eo quod haberi poterit et recuperari de dote mea a manumissoribus uel heredibus siue successoribus Guilielmi Raimundi de Pauo condam. Item <limito predicto monasterio Sancti Danielis omnes redditus et prouentus honoris de Quarciano quos ego habeo et accipio et habere debeo et accipere in tota uita mea, sub tali conditione quod abbatissa que pro tempore fuerit, fadat inde mihi fieri bene et sufficienter tam in sanitate quam in infirmitate omnia necessaria mea, sicut conditio et status persone mee et debilitas ac circumstancie alie hoc requirunt, tam uidelicet in uestibus et lectis et pannis et seruitoribus uel seruitricibus quam, in omnibus aliis. Si

uero abbatissa uel monasterium nollet michi ut dictum est prouidere, predicti manumissores mei habeant plenariam et liberam potestatem occupandi et recipiendi dictum honorem de Quarciano et fructus et prouentus eiusdem, de quibus facerent mihi ut dictum est necessaria plene et integre. Item uolo, ordino atque mando quod si predicta anniuersaria et alia stabilimenta de pane, uino, piscibus atque ouis non fierent bene et sufficienter sicut superius est expressum, episcopus Gerundensis et Gaufridus de Crudiliis et capellanus Sancti Danielis qui pro tempore fuerit et quilibet eorum in solidum habeat plenariam et liberam potestatem accipiendi et tenendi predictarh decimam et alios honores ad predicta stabilimenta et anniuersaria assignatos, de quibus facerent seruicium dictorum anniuersariorum et sabilimentorum, et quod deinde non restituerent dictam decimam uel honores quoisque bonam cautionem haberent a dicto monasterio de dictis anniuersariis et stabilimentis bene et plenarie faciendis. I tem uolo et mando quod totum meum mobile quod hodie habeo, tam in pannis, culcitrīs, matalapsis, scrineis, uexellis et tinis et omne aliud meum mobile, licet hic non sit specificatum, ueniat in manus manumissorum meorum et ipsi uendant illud, et ipsum michi retineo in uita mea et de precio quod inde habebitur dono pro anima mea et tocius generis mei et omnium benefactorum meorum, tam in missis celebrandis quam in helemosina pauperibus eroganda prout eorum discretioni uidebitur faciendum. Item <limito omnes meos estraylls sacristie monasterii Sancti Danielis. Hec est autem ultima mea uoluntas quam uolo iure testamenti ualere, que si non ualet iure testamenti, uolo quod ualeat iure codicillorum uel iure alterius mee ultime uoluntatis.

Quod est actum .xnn. kalendas iunii anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo nona.

Sig+num Agnetis de Fuxano predicte, que hac testamentum facio, firmo firmarique rogo. Testes huius rei sunt Arnallus Ribot, ebdomedarius Sancti Danielis, Petrus de Prato, presbiter eiusdem laci, magister Bartholomeus petrarius, Guilielmus de Mexella, petrarius, Berengarius uanoerius de Gerunda, Petrus Carrera de ualle Sancti Danielis et Ferrarius Bursarius de Gerunda.

Sig(s. man.)num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 423-427